uita Suidae mira narrantur de patria Acusilai et de tabulis aeneis a patre eius effossis, unde ipse operis materiam hauserit. Nam ne illis *Ἀργεῖος ἀπὸ Κεφαλάδος πόλεως οὔσης Αὐλίδος πλησίον* cum Ungero et Muellero confisi Argo Boeotio eum oriundum esse credamus, uetat loci Straboniani quo Argos illud memorari putatur (VIIII, 2, 12 p. 404) manifesta corruptela. Contra erat profecto causa, cur in Hesiodi patria etiam Acusilaum ortum esse mallent. Sed eiusmodi fabulis huius res exornare non minus in promptu erat quam Pherecydis Syrii, quocum illi etiam hoc commune est quod et ipse in septem sapientium numerum relatus est (Diog. Laert. I, 41. Clem. Al. Strom. I, 14 p. 350). Quod si quis fabellas istas prooemio cuidam genealogiarum libris ad augendam eorum fidem praemisso insertas indidemque etiam de auctore eorum dubitationem natam esse coniecerit, ego non impediam. Quamquam genuinam operis originem etiam tum praestare licebit, ubi suspicionis causam detegere non contigerit, id quod in Xantho usu uenit.

Etenim Xanthi quoque Lydiaca iam antiquitus pro subditiuis esse habita notissimo discimus Athenaei XII p. 515 D loco *ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασανδρεὺς ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς* (Ionsius *ἀναγωγῖς*) *βιβλίων*. Quod Artemonis iudicium quamuis Athenaeus impugnet additis his *ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος*, uerissime tamen latum esse Welckerus singulari commentatione Seebodii diario a. 1830 p. 70 sqq. inserta et repetita in opusculorum uolumine primo p. 431 sqq. ita probare studuit, ut assensum ferret C. Muelleri C. Hachtmanni, qui in dissertatione de Dionysio Mytilenaeo seu Scytobrachione a. 1865 edita noua commenta Welckerianae sententiae superstruxit[1]), aliorum plurimorum uel nouissima aetate, uelut E. Meyeri (Geschichte des Alterthums I p. 499 sq.)

1) Satis illa confutauit O. Sieroka in programmate Lyckiano cui inscripsit Die mythographischen Quellen für Diodors drittes und viertes Buch (1878) p. 26 sqq. quamuis Welckeriani inuenti et ipse assecla, contra quem Hachtmanno plura quam debebat concessit E. Meier in Quaestionibus Argonauticis (1882) p. 5 sqq.